D. D.

De

CAUSIS FEUDALIBUS
von Lehen Sachen

EX DECRETO ET AUCTORITATE

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI ICTORUM IN ILLUSTRI JULIA ORDINIS

PRÆSIDE

DN. HULDERICO EYBENIO
ICTO, CANONICI ATQUE FEUDALIS JURIS PROFESSORE CELEBERRIMO, COLLEGII JURIDICI NUNC DECANO &c. &c.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆVUM COLENDO.

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS ATQUE PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

IPSIS NONIS SEPTEMB.
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
DISPUTABIT

Henrich Wilhelm Graßhoff
Quedlinburg.

HELMSTADII,
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typogr.
ANNO CIƆ IƆC LXXII.

DISSERTATIONIS DE CAUSA FEUDALI

SECTIO I.

ONOMATOLOGIA.

§. I.

VOcabulum *causæ* valdè esse æquivocum, ita ut non facilè videas, quæ sit prima ejus significatio, conqueritur Martinus *in Lexico Philolog. sub vocab. caus.* putat tamen, primam ejus significationem, non à Philosophis, sed vulgo, vocabulorum ut plurimum inventore & tortore, repetendam esse. Hinc autumat, causam primò dici de *re*, (vel negotio, Handel / Sache / Geschäffte) quæ in quæstionem venit: deinde de *principio*; propterea, quia res ea, thema, status sit origo omnium, quæ deinceps tractantur; (utraque significatio convenit *l. 14. §. 2. ff. Except. Rei Jud.*) derivatque caussam à *quæso*, qs. *quausam* seu quæstionem vel rem, quæ quæritur. Eâdem ferè ratione, quâ Germani suum Sache (unde Ursache) à Sagen / *dicere*, deduxisse videntur, vid. Glauberg: *Ontosoph. sect. 2. §. 7.*

II. Cicero *in Topic.* & ex eo Vossius *Inst. Orator. l. 1. c. 1. sect. 2.* *causam*, pro materia orationis maximè propria seu *quæstione finita* accipit, ubi dicit; *Quæstionum duo sunt ge-*

 nera,

nera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν *Græci vocant, nos causam.*

III. Verum ICti videntur nec in *vulgari*, nec in *oratoria* vocabuli *causæ* significatione acquiescere, adeoque hoc vocabulum pro sola quæstione, quæ in genere Iudiciali *status* vocatur, & ex Actoris intentione Reique depulsione oritur, non sumere; sed illud etiam ad denotandam ipsam in Judicio motam & institutam controversiam adhibere. *vid. l. 1. §. 1. de Testib. l. 1. C. de Reb.. Cred. l. 16. C. de Transact. 2. Feud. 1.*

IV. Compilatores Legum & Consuetudinum Feudalium frequentiùs utuntur verbis *Controversiæ*, *Contentionis, Litis, in inscript*: *1. Feud. 4. 10. 12. 26.* & locis alijs pluribus. Germani vocant Eine Sache / Eine Rechts-Sache.

V. Et quamvis cum Dionys. Gothofredo *in l. 36. de V. S.* fatendum sit, esse difficile, voces *Litis*, *controversiæ*, *caussæ* distinguere: videtur tamen, si rem accuratè repures, hoc inter eas superesse discriminis, quod vocabulum *controversiæ*, (adde & *Contentionis*) sit generale; *Litis* autem & *caussæ* specialiora, quæ involvant respectum ad Judicium; & *hoc* quidem, præsertim ex usu hodierno, totam apud Judicem institutam controversiam denotet; *illud* autem instantiam à lite contestata vel constituta, usque ad sententiam. *jung. l. 25. ff. de Hered. petit.* Vultei. *de Iud. lib. 3. c. 1. n. 44. seqq.* Goedd. *add. l. 36. de V. S.* Cujac. *in paratit. C. de Transact.* ut ut fatendum sit, in sermone vulgari hæc sæpius confundi; exemplum habes in *l. 73. §. 2. ff. de jud. add.* Coler. παρεργ. *c. 9.* Zang. *de Excep. p. 1. c. 1. n. 3. seqq.* Stuk. *p. 1. Cons. 27. n. 46. seqq.*

VI. Nos præsenti loco vocabulum *Causæ* sumemus in illa posteriore & à Ddribus usitata significatione, perque *causam feudalem* intelligemus Controversiam de feudo,

litem,

litem, contentionem inter Dominum & Vasallos, aut hos inter se ipsos; quæ apud nostrates audit Eine Lehn-oder vor den Lehnrichter gehörige Sache.

II. DEFINITIO. Genus.

I. *Definiemus* autem, vel, si mavis, describemus causam feudalem, quod sit controversia, quæ inter duas pluresve personas qualitate feudali prædictas, de re vel facto feudali, coram judice feudali, & ab eo decidenda, agitur.

II. Generis locum occupat, essentiamque & conceptum communem exprimit vocula *Controversiæ*, quæ notat tale negotium, quod ex pluribus, ad minimum duobus, actibus ad se invicem relatis consistit, quorum unus adfirmat, quod alter negat. Nec verendum est, hoc genus propter ea, quæ §. *s. S. 1.* dicta sunt, esse remotius, quam, ut genus causæ feudalis esse possit; interjacere enim inter caussam feudalem & controversiam ipsam causam, quæ pro genere poni debuisset. Genus enim hoc controversiæ per differentias intermedias fuit restrictum, cum verba *à Iudice decidenda* illud satis determinent, ad certamque controversiæ speciem restringant. Controversiam autem à Iudice decidendam & causam idem significare vel ex *d. §. s.* colligere poteris.

III. Convenit itaque caussa feudalis per hoc genus cum aliis controversiis tàm judicialibus, quàm extrajudicialibus; differt autem ab aliis rebus omnibus, tàm actibus, quam potentijs ad actum.

IV. *Et* quidem (1) à *conventione*, quæ quàm proximè

 vide-

videtur ad controverſiam accedere; cùm æquè, ac controverſia, ſit compages duorum, aut plurium, ſi plures conveniant, actuum, in eo diſtat, quòd conventio dicat plures actus inter ſe conſentientium voluntatesque unientium; controverſia verò plures actus diſſentientium.

V. Nec huic inter cauſam & conventionem allatæ differentiæ obeſſe videtur, quòd *ex l. 13. §. 11. ff. de Peculio.* communiter inferri ſoleat, litis conteſtationem eſſe qs. contractum ſeu conventionem quandam. Donell. *18. Com. 12.* hinc enim cum litis conteſtatio ſecundum ſententiam vulgarem, ex Actoris adfirmatione & Rei depulſione ſeu negatione conſtet, videbatur colligendum, non omnem controverſiam opponi conventioni, ſed quandam ſub illa, tanquam ſub genere ſpeciem, contineri debere. Reſpondemus enim, (1) *in d.l.* non dici litis conteſtatione, ſed judiciô contrahi; jam autem judicium plures actus, quàm litis conteſtationem ſub ambitu ſuo continet. (2) non admittimus, litis conteſtationem, ſi quidem cum JCtis antiquis loqui velimus, in adfirmatione unius & negatione alterius conſtitiſſe; per illam enim lis conſtituebatur, non conteſtabatur. quæ litis conſtitutio fiebat ante dationem judicis, litis autes conteſtatio peragebatur poſt judicem datum. Controvertentes enim tunc litem conteſtari dicebantur, cum *ordinatô Iudiciô* utraque pars dicebat, *Teſtes eſtote*: Feſtus *in verb. conteſtari.* Sigon. *de Iudic. l. 1. c. 27.* Ræↄard. *Protribun. c. 9.* & ordinationem litis ſequebatur ejuſdem conteſtatio. Cujac. *in l. 40. de prob. in tom. 2. oper. poſthum. ad julian. lib. 43. Digeſt.* Et hinc eſt, quod accuratiores Practici ſolùm ſuſtineant, adfirmationem actoris & negationem Rei *pro litis conteſtatione eſſe.* Meichſner. *tom. 2. lib. 1. dec. 5. n. 21.* Bruckn. *in corrrel. ſubj.* Maynard. *Deciſ. Tholoſ: corr. 1. n. 5.* reſponſione factâ, præſumi litis conteſtationem factam eſſe. D. Brunnem. *in*

l. 1. C.

l. 1. C. de litis contest. & quos allegat Mascard. *de probat. concluf. 434.* Menoch. *l. 2. præsum. 30.* ubi rectè hanc limitationem addit, nisi de contrario animo appareat. *jung.* C. O. *p. 3. t. 13. §. 4. verb.* In sachen N. contra N. bin ich der Klage nicht geständig / bitte mich von derselbigen / mit abtrag Kostens und Schadens / zu erledigen; unnd mit diesen worten soll der krieg / ob auch der litis contestation nicht außtrücklich meldung geschehe / befestiget zu sein gehalten und verstanden werden; (3) Positô, litis contestationem consistere in adfirmatione & negatione; concessô etiam, rectè dici, quod litis contestatione qs. contrahatur; aliud tamen erit litis contestatione contrahi; & aliud, litis contestationem esse contractum seu conventionem tacitam in foro civili efficacem. Posterius negamus, cùm L. C, data opinione vulgari, non sit duorum in unum placitum consensus, sed dissensus, vocanda. Prius autem affirmamus, conjuncta enim est cum L.C. aliqua præsumta conventio, dum partes, quæ litem constituunt, præsumuntur consentire, quod velint ea, quæ judex decernit, grata & rata habere. Vultej. *lib. 3. de Jud. c. 1 n. 145.* Denique qs. illi contractus, qt. qs. contractus sunt, non possunt propriæ & veræ conventiones dici; id quod vel ipsa particula *quasi*, analogiam, quam cum veris conventionibus habent, importans, satis innuit. Est enim illa divisio contractuum in *Veros* & *Quasi* generis analogi in sua analogata, cùm in prioribus duo actus verè intercedant & uniantur; in posterioribus autem saltem fingantur & præsumantur; quæ tamen fictio idem operatur, quod veritas. *jung. §. 1. instit. Quib. mod. re contr.*

VI. Dices, cujusnam illæ subtilitates in praxi usus. R. Noti sunt insignes, quos litis contestatio habet effectus. *vid. post alios* Umm. *Disp. ad Process. 12. n. 19.* ad hos sanè intelligendum & de ijs accuratè judicandum, oportet scire causam,

sam,

sam. Et si vulgaris definitio litis contestationis sit proba; quis cum ea pragmaticorum communem regulam, *Exceptiones litisfinitæ*, in quibus quam maximè actoris intentio negatur, *ante litem contestatam opponi posse*, conciliabit. Certè qui hæc simul stare posse, sustinet, & hanc contradictoriam, *Reum, antequam Actoris adfirmationem neget, eam negare posse*, admittere, necesse habebit. Et licèt me non fugiat, posse inter responsionem &, quæ in ea vel explicitè vel implicitè continetur, negationem, sumtis vocabulis accuratè & iisdem acceptis in sensu vulgari, distingui; uti fecit Amplissima Facultas Juridica Lipsiensis in consil. quod extat inter *Cons. à Kirchov. coll. Tom. 2. Cons. 51. n. 1.* dum consuluit, So viel die erste Frage anlanget / ist dabey anfänglich zuwissen / daß das Wort Antwort ein vocabulum æquivocum oder ambiguum ist / das zweyerley Verstand hat; den *propriè* Heist antwort auff eine Klage / wenn man darauff antwortet mit ja oder nein / und also saget / ob man der Klage geständig ist / oder nicht; diese Antwort heist man in Rechten litis contestationem, quæ per petitionem in jure factam & responsionem secutam *inducitur* litis contestatio *c. 1. de litis contest. c. 2. §. licet. de electìon.* Und dieses heisset propriè ein antwort &c. & paulo post. Sonsten aber wird auch Antwort ins gemein genommen vor sich in recht einlassen (nota tamen, hoc vocabulum, einlassen / solere aliàs usurpari de responsione, quam Dnn. Lipsienses hic *propriam* dicunt, & ex qua litis contestatio præsumitur, communi illâ formulâ, daß sich Beklagter auff erhobene Klage einzulassen nicht schuldig) seine rechtliche Nohtdurfft vor wenden / und ein ding oder gut vortheidigen. Verùm hæc ipsa distinctio definitionem generalibus verbis conceptam infringit. Deinde practica illa, & *in R. I. de anno. 1570.* §. Demnach. *89. & de anno. 1594.* §. so viel dan. *58. &* §. Setzen demnach. *62.* fundata litis contestationis divisio, in *puram*

& *even-*

& *eventualem*, communi illi definitioni vix quadrabit; cùm in eventuali litis conteſtatione non *eventualiter*, vel in hunc eventum, ſi exceptiones dilatoriæ & fori declinatoriæ irrelevantes fuerint judicatæ, Reus *neget*; ſed maximam partem *purè* ſivè implicitè ſive explicitè negando, in judicium *eventualiter conſentiat*.

VII. Denique ab *actione feudali* (actionem & cauſam cognata eſſe dicit Vinn. *ad Princip. Inſtit. de Act. n. 6.*) in judicio inſtituta differt cauſa Feudalis, ut totum aliquod analogicum integrale, à partibus ſuis integrantibus. Eſt enim actio (uti hîc ſumitur) is in controverſia actus, quô mihi aliquid dari, fierivé debere adſero. Cum actione feudali, ut jus notat, minus eſt periculi, ut confundatur; cùm ab illa totô genere diſtet.

III. DIFFERENTIA. Suppoſita ſive Subjecta.

I. *Differentiam* petimus à *Suppoſitis*, ſeu ſubjectis, *Objecto* & *Fine*.

II. *Suppoſita* cauſarum Feudalium ſunt perſonæ controvertentes, quæ ſunt vel *principales*, vel *acceſſoriæ*.

III. *Principales*, & ſine quibus nulla cauſſa feudalis nec cogitari nec eſſe poteſt, ſunt *Actor* & *Reus*, quorum uterque, uti eos deſcribit Gothofr. Anton. *Diſpp. Feud. 14. th 8.*, *qualitate feudali* prædiṫus eſt, vel inter quos relatio aliqua feudalis, qualitati feudali jam dictæ ſuperſtructa, intercedit.

IV. Non adjicimus, *habentes perſonam legitimam ſtandi in judicio*, facultas enim illa coram Iudice comparendi, non eſt ſpecialis, nec in ſolis cauſarum feudalium ſuppoſitis requiritur; ſed generalis & communis omnibus litigantibus; & propterea ex locis J. C. *ex tit. de poſtul.* & alijs repetenda. *jung.* Umm, *de proceſſ. D. 1. th, 4. & 5.* Vultej. *l. 1. de Iud.*

cap. 5. & *6.* & qui *de Iudiciis* & *Processu* ſcripſere omnes.

V. De *Filiofamilias* tamen lubet inquirere, an & iſte de feudo litigare abſque conſenſu patris poſſit? Quæ quæſtio, ſi cum Iſern. *in cap. un. de his qui feud. dar. poſſ. n. 13.* Vultej. *de feud. l. 1. c. 4. n. 8.* Dn. Struv. *S. I. F. c. 5. th. 15. n. 4.* omnia feuda ad bona caſtrenſia referri placuerit, determinatu facilis eſt *ex l. 4. §. 1. ff. de Caſt. pec. junct. l. ult. §. 1. C. de SCto. Maced.* Verùm generalis iſta & promiſcua doctrina fidei ſubleſtæ eſſe videtur, non ſolum propterea, quod dentur feuda, quæ tenentur & poſſidentur à fœminis. *2. Feud. 30.* fœminæ autem milites eſſe non poſſint; *arg. l. 1. §. 5. de poſtul. l. 2. de R. I.* Bocer. *de Bell. & duell. c. 6. n. 19.* D. Malcomeſ. *de Re Milit. §. 12.* D. Klau. *de Re milit. th. 127. ſeqq.* nec per conſequens bona caſtrenſia poſſidere *l. 11. de Caſtrenſ. pecul.* Sed etiam, quòd inveniantur feuda, quæ nec ex militia, nec intuitu militiæ acquiſita eſſe dici, nec ad peculium caſtrenſe referri poſſint. Si enim filius in feudo franco vel penſionali ſuccedit, (idem eſt, ſi tale feudum, emptione, permutatione & ſimilibus titulis acquiratur,) illud ſanè nec ex militia nec intuitu militiæ adipiſcitur. Non ex militia; quia in eo parenti ſucceditur: non intuitu militiæ; quia non datur tale feudum propter præſtanda ſervitia militaria, ſed vel planè à ſervitijs immunis eſt vaſallus, ut in feudo franco; Roſenth. *de feud. c. 2. q. 49.* vel locô ſervitiorum certam penſionem annuam ſolvit, ut in feudo cenſuali; de quo vid. Roſenth. *dict. c. quæſt. 63.* Et deinde non videtur, omne illud, quod intuitu militiæ acquiſitum eſt, ad peculium caſtrenſe pertinere; ſed hoc ſolum, quod intuitu militiæ præſentis. Nam *in l. 11. ff. de pec. caſtrenſ.* pro bonis caſtrenſibus tantùm habentur, quæ *in militia agens* acquiſivit & quæ, *niſi militaret*, & *ſine militia*, non erat acquiſiturus *jung.* Bocer. *de bello c. 16. n. 18.*

VI. Ar-

VI. Arbitror igitur, feuda æquè, ac alia bona, distinguenda esse in castrensia & pagana. In castrensibus feudis supra data decisio locum inveniet. In paganis autem, secundùm *l. ult. in fin. princ. C. de bon. quæ lib.* Scip. Gent. *de bon. matern. c. 20. & 26.* & post eum Umm. *d. Disp. 1. n. 31.* Dn. Strauch. *Diss. justinian. 21. th. 12.* distinguendum erit. *confer. &* Rosenth. *c. 12. concl. 10. n. 3. & seqq.* Anton. *Disp. Feud. 14. th. 8. lit. d.*

VII. Dictum fuit, *qualitate feudali præditos.* Et hoc sibi volunt Ddres nostri, dum statuunt, Iudicem Feudalem posse solum cognoscere, si lis sit inter *feudatarios.* Bald. *vol. 2. consil. 216. n. 6.* Domini jurisdictionem esse limitatam *inter vasallos.* Menoch. *Remed. retin. poss. 3. n. 428.* si quæstio vertatur inter *vasallum* & *extraneum*, causam activè & passivè coram *ordinario* ventilandam esse. Schwanem. *Obs. Cam. 11. n. 11. 12.* Crag. *de feud. l. 3. §. ult. pag. 378.* Egregius quidam JCtus in Cons. MSS. In was vor sachen ein Reichs Edelman vor dem Lehenhoff zu recht zu stehen schuldig sey? *n. 125. verb.* Es müssen die Litigirende Personen und deren Lehen-Herr-oder Mannische *Qualität* so fern in obacht und reflexion genommen werden / daß wen deren auch nur einem / es sey Kläger oder Beklagter / es sey in possessorio oder petitorio, an berührter qualität es mangelt / der Ordinarius zu cognosciren hatt. Dissentire quidem videtur Schoner. *de feud. lib. 2. D. 2. n 27.* dum ait; sufficere *si Reus sit vasallus, licèt actor non sit, cùm actor sequatur forum Rei.* Sed respondemus, hanc regulam tunc solùm habere locum, cum de foro ordinario, & ubi Judex citra partium consensum ab eo, qui jus constituendi Magistratum habet, datus est, quæritur; perdere autem ipsam suum officium in hoc casu, in quo judicis feudalis jurisdictio ex partium conventione quadantenus dependet. Posse enim tali casu actorem, qui in jurisdictionem Iudicis non

 con-

consensit, invitum ad ejus judicium non trahi, expediti juris est.

IIX. Intercedit autem dicta relatio & vinculum feudale, quod in supposito causarum feudalium requisivimus, *primò* Dominum & Vasallum; *deinde* Vasallos, qui eundem Dominum recognoscunt & proinde quasi socij & commilitones sunt. Schrader. *de feud p. 10. sect. 2. add.* Rosenthal. *d. c. 12. concl. 4. n. 24.* Hinc hæ personæ pro subjecto s. supposito causarum feudalium solùm habendæ sunt & coram Judice feudali litigare tenentur; quæ necessitas videtur esse pars aliqua obligationis inter Vasallos & Dominum intercedentis, & descendere ex ipso feudali contractu. *vid. inf.* §. *8. sect. 5.* Schrader. *de feud. p. 10. sect. 5. n. 229.* ubi ait, Vasallum ex fidelitatis debito obligari, ut coram nullo alio Judice in causis feudalibus, quàm feudali, litiget.

IX. Sed quid, si ista qualitas eique innitens relatio vocetur in dubium, seu negetur? Veluti, si Titius neget, Mevium esse suum dominum, vel Mævius neget Titium esse Vasallum, aut Sempronius adserat se vasallum, Cajum autem neget esse Convasallum, vel si Cajus se ipsum vasallum neget, anne & tunc talis controversia causa feudalis erit? Et arbitror distinguendum esse, utrum alteruter vel uterque litigantium qualitatem feudalem sibi inesse, ipse neget; e. g. Si Cajus Reus se neget Vasallum, quem Sempronius Actor suum convasallum esse, adserit, vel si & Cajus Reus & Sempronius Actor se va-

ſe vaſallos negent; an ſibi qualitatem iſtam adſerat, (hinc adſertum vaſallum vocant Dd. Zaſ. *p. 11. n. 5.* & alii paſſim) à Colligatore tamen, qualitatem hanc ſimiliter ſibi adſerente, pro ita qualificato non habeatur e. g. *ſi Mævius ſe dicat vaſallum & Titium, ut convaſallum, conveniat, Titius autem, ſe quidem vaſallum eſſe, adſerat, neget tamen, Mævium eſſe ſuum convaſallum.*

X. *Priori* caſu controverſia talis non eſt cauſa feudalis, nec à judice feudali dijudicanda, ſed ordinario relinquenda erit. Controvertitur enim id, quod eſt juriſdictionis feudalis fundamentum, in quo judex feudalis, ceu in propria cauſa, judicare nequit. *arg. l. 1. C. ne quis in ſua cauſa* &c. Ronſenth. *c. 14. concluſ. 2. n. 8. & concl. 4. n. 9. & ſeqq.* Nec huic obſtat, quod Judex de ſua competentia ipſe cognoſcere, & in exceptione fori incompetentis pronunciare poſſit, *l. 2. ff. ſi quis in jus vocatus non ierit. l. 5. de judic.* Diſtinguunt enim Cavalcan. *p. 1. Deciſ. 11. n. 17.* Surd. *conſil. 286. n. 12.* inter Judicem ordinarium & univerſalem, & inter judicem particularem, ſeu cui certæ cauſæ commiſſæ ſunt. priorem dicunt de competentia ſua poſſe cognoſcere; poſteriorem non æquè; & quamvis Cujacius (qui *tom. 2. oper. poſthumor. ad Paulum in d. l. 2.* docet, omnem Magiſtratum, qui ſe competentem pronunciat, non ſibi ſ. rei ſuæ familiari jus dicere; ſo verum poteſtatem conceſſam tueri; id quod facere non ſolum poſſit; ſed etiam debeat) diſtinctionem illam vix admittet, paremque hic & univerſali & particulari judici poteſtatem concedet; certum tamen eſt, judicem feudalem, qui Magiſtratus propriè dici nequit, cujuſque juriſdictio cum re familiari arcto & ſororio vinculo conjuncta videtur, ſe competentem pronunciare neutiquam poſſe, quin unà ſibi, vel rei ſuæ familiari, jus dicat, e. g. ſi ſe Dominus compe-

 tentem

tentem judicat, ſimul neceſſario dicit, ſe habere & jura in rem & ad rem feudiſtica, uno verbo, eſſe Dominum feudi. *jung.* Surd. *d. conſil. 286. n. 14.* dum ait; *Judicem non poſſe de ſua juriſdictione cognoſcere, ſi ſimul agatur de particulari commodo judicis.* Si autem iſte, qui qualitatem feudalem ſibi ineſſe negaverat, judicio ſe ſponte ſubjecerit; alter qualitatem iſtam ſibi adſerens, cognitionem Judicis feudalis ſubterfugere nequit. quò refero *3. Feud. 20. & 39. §. ſi inter.* In quo *priori textu* cùm vaſallus qualitatem vaſalliticam ſibi adſerat, Dominus autem eam neget, cauſa *verè* feudalis non eſt: ſed quia dominus dicit, *quod quicquid inter eos, ſive de inveſtitura, ſive de fidelitate,* (juramento fidelitatis) *ſive cauſa principali agendum eſt, per ſuam curiam ſit expediendum*; & ita ſpontè militare ſ. feudale judicium agnoſcit; non poteſt vaſallus opponere, *Dominum negare ſe eſſe vaſallum, & ideo in ea Curia*, ſecundum Domini opinionem, *pares ſe non habere.* & hinc *ſæpe laudatum ſe ſcire*, ait Compilator, *pares ſecundum* legitimum *modum eſſe eligendos prius, ad quorum ſpectet officium, ut illum* (vaſallum adſertum) *prius de ſuo recto feudo* (ſi ob aliud feudum ejuſdem Domini vaſallus non ſit. *in fin. eod.*) *inveſtiri faciant*, non eô fine, ut feudum per illam inveſtituram accipiat, ſed ut jurisdictio Parium per contractum feudalem in hunc adſertum vaſallum fundetur, *vid. inf. d. ſect. 5. §. 8.* *Fidelitatis* verò *jusjurandum*, ut & inveſtitura propria, *differatur*, donec de cauſa principali cognoſcatur. *d. t. & 2. F. 59.*

XI. *Poſteriori* caſu, ſive ab alterutro, ſive ab utroque litigantium qualitas illa adverſario adeſſe negetur; videtur res adhuc eſſe intricatior; puto tamen & hôc caſu, talem controverſiam non eſſe cauſam verè feudalem. *2. Feud. 24. §. 1. verſ. ſi duo. 2. Feud. 34, pr. & verſ. ſi autem.* Cùm enim illi, qui ſe invicem negant vaſallos, nec Dominum nec pares in illa curia habeant: *argt. 2. Feud. 20.* non poteſt alter alte-

rum

rum trahere ad dominum vel ejus curiæ judicium. *2. Feud. 15.* quod tamen posset, si causa verè feudalis esset. Verum si Judex militaris eos vocaverit, cum quilibet eorum se vasallum esse adserat seu, quod idem, confiteatur se ad comparendum coram judice feudali esse obligatum, non licebit illius domini vel ejus curiæ examen s. judicium declinare *d. l. & 2. Feud. 46.*

XII. Ex quibus omnibus, ut hæc tandem concludamus, colligi poterit, ad *supposita* causarum, *verè* feudalium, requiri, ut litigantes qualitate feudali *sine ulla contradictione* gaudeant, & vel Dominus & Vasallus, vel duo aut plures convasalli ejusd. Domini sint. Idem ferè inculcat superiùs allegat. Dn. Aut. *Cons. MSS. n. 157. verb.* Ein welches (nempe Ordinarium esse Judicem) die Ordres auff solche fälle ziehen und erstrecken / da eine oder andere Parthey zu gemelter qualität sich nicht bekennen will oder auch dieselbige ihme vom Gegentheil / oder dem Gegentheil von Ihme / gestritten wird; *unô verbô; quoties inter litigantes non convenit de nexu & conditione* dominica, *vel* vasallitica *v. g. alter se vel alterum vasallum aut prorsus non aut non suum esse contendit, aut se quidem Vasallum esse fatetur, sed non Domini illius; item, colligatorem quidem esse Vasallum, sed non convasallum suum, seu non ejusdem Domini Vasallum, cujus ipse est,* &c. ordinarij *Judicis, non feudalis, vel arbitri jurisdictionem esse volunt, quæ etiam sententia textibus satis commodis firmatur ex 11. F. 18. §. 2. vers. Si duo 34. pr. §. Si autem inter. & 46. c. cæterum. extr. de Iudic.* Nic. Mozz. *de Naturalib. feud. n. 111. limit. 2.* Zasius. *p. 11. n. 9. & seq.* Joh. Ferrar. Montan. *lib. 5. F. c. 1. §. 7.* Curt. jun. *de feud. p. 7. n. 5. 27. & 39.* Sonsbeck *14. de feud. n. 8. 31.* Borcholt. *de feud. c. 10. n. 31. & seq. §. 11. vers. ne autem & seqq.* Quetta *consil. 83. n. 1. seqq.* Mynsing. *5. obs. 76. n. 2. & seq. cent. 1. obs. 99. n. 4.* Gudelin. *p. 6. de feud. c. 1. n. 6. & 9.* Vultej. *lib. 2. de feud.*

c. 2. n.

c.2.n. 4.35. & *42.* Schrader. *de feud. p. 10. sect. 2. n. 7. seqq.* Eberhard. Speckhan. *cent 2. d. 4. quæst. 34. n. 14. 15. quæst. 35. n. 20.* Crag. *lib. 3. de feud. dieg. 7. p. 378.* & *p. 380. in fin.* Rosenthal. *c. 12. concl 4. n. 9.* & *seqq. n. 30. seqq. n. 44. seqq.* & *concl. 2. n. 8. seqq.* Christoph. Schwanem. *obs. Cam. 11. n. 6.* & *14.* hæc illę;

XIII. Non autem excipimus ex Suppositorum numero *personas*, quæ aliàs singulari *privilegiò* à foro communi exemtæ sunt; quales sunt Clerici, milites, studiosi, viduæ, pupilli & aliæ personæ miserabiles. Hæ enim æquè, si cætera sint paria, ac aliæ, Iudici feudali se sistere, ac coram eo litigare debent. Goedd. *Disp. Feud. 11. th. 6. lit. C.* Vultej. *de feud. lib. 2. c. 2. n. 22. junge* & Rosenth. *c. 12. concl. 1. n. 10.* & *seqq.* qui tamen, quoad miserabiles personas, non per omnia consentiunt. *d. concl: 1. n. 19. jung.* Menoch. *remed. retin. poss. 3. num. 113.* Non tamen possum adsentiri Vultej. & Gœdd. *d. l.* statuentibus cum Gail: *1. Obs. 1. num. 40.* quod hodie privilegia, miserabilium personarum plane ab usu recesserint. contrarium enim videre est, ex Imp: Ferd: I. R. Hoffrahts Ordnung *de anno. 1559.* §. damit auch etc. ibi, und zufoderst die arme Leute etc. §. Es sol auch etc. ibi folgends der Gefangenen/ Witben/ Weysen und armen Leute. Imp. Rudolph. II. Decret. vom *1. jul. ibi.* oder *oppressorum* und *miserabilium* sich *ad amputandos litis sumtus* annehmen. Imp. Matth. R. H. O. *de anno. 1614. tit. 2.* §. und weil auch etc. Newe R. H. O. *de anno. 1654. tit. 2.* §. und weil auch & *tit. 4.* §. und weil zum etc. jung. Rutger. Ruland. *p. 4. de Commiss. lib. 2. num. 62.*

XIV. Personæ *accessoriæ* iterum sunt duplicis generis, vel *necessariæ*, vel *voluntariæ*. *Necessariæ* sunt, quæ ex officio debent principalibus adsistere, quales sunt tutores, curatores, parens, si filius de feudo adventitio extraordinario, in quò Patri usufructus acquiri potuit, agit, *vid. sup.* §. *7. alleg.* *Voluntariæ* sunt Procuratores, qui ex libera voluntate litigan-

tibus

ibus accedunt. In his mandatum generale arbitror sufficere, per ea, quæ tradit Rosenth. *c.12. concl. 10. n. 75.*

IV. Objectum.

I. *Objectum* controversiæ illud dicitur, de quo inter partes litigantes disceptatur: & est duplex, vel *res aliqua*, vel *factum*. omnis enim actio in judicio eô fine intentatur, ut persequamur illud, quod nobis debetur. *pr. instit. de act.* Debetur autem vel res, vel factum factivè omissio. *pr. Instit. de Oblig. l.1. ff. de Reb. Credit. l.3. ff. de O. & A.* hinc omnis actio eò tendit, ut aut res aliqua detur aut restituatur, vel aliquid fiat aut non fiat. Et cum controversia feudalis actionem feudalem, ceu actum potissimum, contineat; *S. Sect. 2. §. ult.* idem ipsi objectum adsignandum erit.

II. Non autem quælibet res vel quodlibet factum pro objecto causæ feudalis haberi meretur; sed solum illa res illudve factum, quod *feudale* est, *1. F. 18. verb. de beneficio. 2. F. 1. 15. 2. F. 32. verb. causis feudi. & omnibus quæ ad causas feudi pertinent.* seu *in quod vel ad quod jus aliquod feudisticum competit.* Et hoc puto velle Rosenthal. *c.12. concl. 2. n.3. & 5.* dum dicit; *litem feudalem non esse, nisi descendat ex legibus aut pactis feudalibus &c. & nisi in libello ad feudum concludatur* &c. & Anton. *Disp. Feud. 14. th. 1, lit. C. verbis: quando quæstio est ex lege seu contractu feudali*; & paulo post: *modò ex lege seu obligatione feudali instituatur. jung.* Christoph. de Straffen *Tom. 3. Cons. à Kirchov. collect. cons. 24. n. 19. & 22. seqq.* verb. *ut agens actione sua nitatur* ex feudo *& ex natura & jure sivè lege feudali, & tanquam Dominus feudi petat feudum vel aliquid ejus occasione, puta si conqueratur Vasallus, quod Dominus occupet partem feudi & econtra; vel ut de eo det tributum & aliquid simile.* Illi enim qualitatis in objecto requisitæ causas remotiores *legem & pacta feudalia*; nos vero proximiorem, *jus*

 nimi-

nimirum *ex legibus, pactis* &c. profluens ortumque, posuimus. Quamvis Goth. Anton. & C. de Strass. nobiscum ex parte consentire videantur, dum hic, ut agens nitatur *ex feudo*, expressè requisivit; ille autem *obligationem* pro *jure ad rem* posuit. Proximius accedunt, quæ Dn. Autor. sup. *alleg. consf. MSS.* scribit, dicens; Daß alle die jenige Ansprüche / Klagen und Forderungen / welche aus einem Würcklich verhandenem Lehen (*illam variorum jurium & obligationum congeriem dico, quam feudum vocamus*) oder dessen / ein-und anderen Theilen oder Stücken / als da sind des Lehen-Herrn und Lehenmannes dingliches Recht / sonsten directum & utile Dominium, Ober- und unter-oder nutzbare Eigenthumb genandt / am Lehengute / und beyder gegeneinander habende Rechte und Pflichte / auch dieser dinge so wohl constituir-erhalt-und nutzung / als verlustigung und dabey wirkenden *causis* ac *titulis* ihre Herkunfft / Uhrsprung und wesen haben / und alsomit ihrer intention darin gefasset und begründet seind.

III. Per *jura* autem *feudistica* intelligo illas qualitates morales, quæ ex contractu feudali, (per hunc enim jurisdictionem Iudicis feudalis fundari, sæpius dictum) traditione ipsi in-seu connexa, pactis illi adjectis, delictoque feudali coortæ, ens illud morale seu juridicum, quod *feudum* nominamus, constituunt. Feudum enim (uti *jus* notat) non aliter, quam per congeriem multarum id generis qualitatum & jurium, tam in re, quam ad rem, adde & in personam, concipi & definiri posse & debere, me docuit Magnif. Dn. Præses *Elect. feud. c. 11. §. 4. seqq. jung.* D. Struv. *S. I. F. c. 2. num. 2.*

IV. Competunt hæc jura vel *Domino* vel *Vasallo*; & sunt eorum alia *essentialia*, quæ ipsam feudi essentiam intrant & abs eo, salvâ ejus essentia, abesse nequeunt; alia *accidentalia*, quæ adesse vel abesse, manente nihilominus ipsô feudô, possunt; & *hæc* iterum vel accidunt feudo *ut plurimum*, quæ

scilicet

ſcilicet ipſo jure ſemper adſunt, niſi aliter inter eos, qui contractum feudalem celebrarunt, conventum fuerit; vel per pacta feudali contractui adjecta *extrinſecus* feudo accedunt. Quæ quidem, terminis JCtorum uſitatis, *Accidentalia*, uti iſta *Naturalia*, & illa denique *Subſtantialia* appellitari conſtat.

V. *Eſſentialia* feudi jura alia ſunt, quæ ad *omne feudum*, etiam *improprium*, conſtituendum neceſſariò concurrunt; alia, quæ ſolum requiruntur ad conſtituendum *feudum proprium*. Ad *priora* feudi jura *ex parte Domini* pertinet (1) illa moralis qualitas domino competens, beneficiô cujus aptus eſt ad plenum dominium, extinctô totô vaſalli jure, recipiendum. Vocant hanc qualitatem, unà cum alijs juribus concurrentibus, *dominum directum*; cujus vicem in feudis conſtitutis in re fungibili, ſeu cujus uſus in abuſu eſt, ſimiliter ac in quaſi uſufructu proprietatis, §. *2. Inſtit. de uſufr. verb. per cautionem l. 5. § 1. l. 6. 7. ff. de uſufr. earum. rerum.* ſuſtinet *jus ad rem* finitio feudo repetendam. (2) Huc referendum *jus ad* petendam à vaſallo *fidem* operaque, quæ ad fidem pertinent, (talia dari innuit Magnif. Dn. Præſes *Elect. feud. c. 11. §. 11.*) vel neceſſario ex ea fluunt: & conſiſtunt in exhibenda Domino reverentiá, promovenda ejus incolumitate & utilitate, & avertendo, ſi quod fortè imminet, damno. *vid. 2. Feud. 3. 6. 7. 22. 23.* Anton. *Diſſ. Feud. 7. th. 2. & 9.*

VI. Ex *parte vaſalli* ad hunc locum referendum eſt (1) *Dominium utile*, quod conſiſtit (α) in jure agendi in ipſius rei ſuperficiem, fructus omnes, qui ex illa capi poſſunt, percipiendo; *2. F. 8. 23. 28.* (β) in jure alienandi & oppignorandi rem feudalem, adhibitô conſenſu domini, *2. Feud. 52. & 55.* (Dominio illi utili, in rebus fungibilibus conſtituto feudo, ſuccedit *dominium plenum* in rem feudalem vaſallo, quam diu eam tenet, vel, ea conſumta, *utilitas*, quæ ex conſumtione obvenit, competens.) (3) *Ius petendi* à Domino *fidelitatem*

mutuam. *2. Feud. 6.* Rosenthal. *de feud. c. 8. q. 1. n. 2. cum multis sub lit. C. allegat.* (4) *Ius* à Convasallo *amicitiam* & officia convasallitica, *exigendi.* Denique (5) *Ius* his juribus omnibus simul renunciandi seu, ut loquuntur Feudistæ, *feudum refutandi. 2. Feud. 38.*

VII. Sed quænam sunt *officia* illa *convasallitica*, quorum vasallum à suo convasallo exigendorum jus habere, jamjam diximus? seu, quod idem, ad quæ se extendit obligatio illa specialis convasallorum adversus se invicem? Responsio ad hanc quæstionem quodammodo suppeditatur in *2. F. 36 pr.* ubi dicit Feudista; *vasallum amittere feudum, si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit, v. g. hominem tradendo, ut in curia stare non possit.* Ex quibus verbis ultimis colligimus (1) in eo consistere vasalli adversus convasallum officium, ne aliquid faciat, quò in curia stare non possit homo, seu brevius, ne amplius vasallus sit; Duobus autem modis efficitur, ne in curia stare & servitia domino debita, aut planè nulla, aut non tàm magna s. plena, præstare possit vel cogatur vasallus; *primò*, si persona ejus lædatur; veluti, si occidatur, membro aliquo mutiletur, vel etiam hosti tradatur; *deinde* si feudum ipsi auferatur vel imminuatur. cùm enim obligatio vasalli erga dominum, quantacunque sit, realis sit; hoc est, obligetur vasallus, quatenus & quia possessor feudi est, & quamdiu feudum possidet; Idcirco, si res illa ampliùs non existat, solvitur obligatio & vasallus desinit esse vasallus. Gœdd. *de feud. D. 9. th. 2. l. a.* Vultej. *de feud. c. 11. n. 5* Wesenb. *de feud. c. 15. n. 2. in pr.* (2) Ex supra allegatis verbis colligimus, obligationem vasalli adversus convasallum pro fundamento habere obligationem vasalli adversus dominum, seu, obligari vasallum convasallo, non ipsius convasalli, sed communis Domini causâ, & nullum in convasallum perpetratum deli-

ctum

ctum pro feudali haberi posse, nisi quod in Domini injuriam & detrimentum quodammodo tendit; sed de his aliô locô pluribus.

IIX. Ad jura autem *essentialia*, quæ præter jam enumerata ad constituendum *feudum proprium* etiam requiruntur, pertinent ex parte domini *jus impediendi aut confirmandi alienationem feudi*, factam à vasallo; Hoc enim jus licèt absit à feudo merè & purè hereditario; D. Struv. *S.J.F.c.4. aph. 13. n. 1.* Prukm. *v. 2. cons. 9. n. 38. 39.* Curt. Sen. *consil. 49. n. 37.* à feudo tamen proprio abesse nequit. *2. F. 52.* & *55.* sed si absit, feudum tale propriam feudi naturam non habere dicitur. *2. Feud. 48.* Ex parte verò *vasalli* huc pertinet, *jus impediendi* aut consensu suo confirmandi *translationem dominij* directi. *2. Feud. 34. §. 1. 2. Feud. 24. §. 1. in fin.* confer. Rosenthal. *cap. 9. q. 62.*

IX. *Naturalia* feudi jura, ad *Dominum* pertinentia, sunt (1) *Jus exigendi servitia* (alia sc. ab ijs operis & officijs de quib. S. *in §. 5. num. 2.*) *2. Feud. 23. in, fin. 2. Feud. 55. §. firmiter.* Pertinere hoc jus ad feudi naturalia, à nemine unquam fuit dubitatum. Struv. *d. l. c. 2. aphor. 7.* Kohl. *de servit. Feud. p.* 1. *n. 5. 6. 7.* & *p. 4. num. 93.* Rosenth. *de Feud. c. 8. q. 4. n. 3.* Treutl. *vol. 2. Cons. 84. num. 12. seqq.* (2) *Jus postulandi*, ut petatur & accipiatur *renovatio* investituræ, exigendique fidelitatis juramentum *2. Feud. 3. 24. 40. 32.* Posse autem hoc jus per pactum, salvâ feudi essentiâ, remitti atque restringi, & consequenter ad naturalia feudi pertinere, docet Knich. *de investit. pact. p. 3. c. 4. num. 79. jung.* Rosenth. *d. cap. 8. q. 8.* & *q. 21.* (3) *Jus* de causis feudalibus inter vasallos vertentibus *judicandi.* Mozz. *de Feud. natural. num. 110. de quo I. sect. 5. §. 4.*

X. Ex parte *vasalli* naturalia feudi jura sunt (1) *jus occupandi thesaurum* in fundo feudali inventum, pro diversita-

ſitate caſuum vel totum vel partem ejus dimidiam. *ſ. 40. Inſt. d. R. D.* D. Struv. *S. I. F, c. 12. a. 5.* Roſenth. *c. 5. q. 93.* Pertinere vero hoc jus ad feudi *naturalia*, vel ex eo patet, quòd in illis locis, ubi illud non privatis, ſed Principibus vel fiſco competit; (de Scotiæ & aliarum regionum moribus teſtatur Craig. *de Feud. l. 1. dieg. ult.* Grot. *de jur. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 7.*) vera tamen, genuina & propria feuda ſint. (2) *Jus habendi* vel occupandi *incrementa* feudalia; ſpectat enim illud ad vaſallum tunc, ſi non aliud vel expreſsè vel tacitè, ut quando aliquid in curte ſibi reſervavit Dominus, actum eſt; quô caſu præſumetur dominus hoc jus non conceſſiſſe; quæ tamen præſumtio per contrariam probationem à vaſallo elidi poterit *1. Feud. 4. §. ſi quis de manſo* (3) *jus rem feudalem ad uſus* proprios, modò non deterioretur, *aptandi. 2. Feud. 8. §. è contrar. 2. Feud. 28. §. ſi vaſallus.* (4) *jus* de feudo, abſque colluſione tamen, *tranſigendi. 2. Feud. 43. 2. Feud. 26. 43.* (5) *Jus* non quidem uni vaſallo, ſed paribus curiæ electis competens, *litem inter Dominum & convaſallum* exortam *decidendi.* Mozz. *d. l. n. 113.* Quæ jura omnia propterea ad feudi naturalia referenda ſunt, quia, ſi nihil aliud actum, ſecundùm regularem feudi naturam, ipſi feudo inſunt; poſſunt tamen ſalvâ feudi eſſentiâ, ſi hoc egerint conſtituentes & acquirentes, abeſſe.

XI. Ad *accidentalia* feudi jura pertinent (1) omnia illa, quæ *ex pactis* contractui feudali adjici ſolitis *2. Feud. 2. §. præterea. I. F. 8. & aliis tx.* vid. Knich. *de Veſtitut. Pact.* competunt & conceduntur. Tale e. g. eſt *jus petendi*, ſi contractui feudali non fuerit ſatisfactum, *obſtagium*, daß Einlager; fluens ex pacto obſtagij. Ita vidi literas inveſtiturarum de anno 1343, in quibus cautum erat, *ut vaſalli* (ſi nimirum pactis contravenirent) *oppidum N. intra octo dies, poſtquam ſuper hoc moniti fuerint, intrent & jaceant ibidem, abinde non receſſuri,*

quouſ-

quousque de damnis, violentijs & injuriis illatis fuerit satisfactum. Quod tamen pactum videtur hodie, si non expresse, ex mente tamen legislatoris, per *Ord. Polit. de anno 1577. tit. 17. §. 10.* abrogatum esse. Item, *jus feudum* absq; consensu Domini *alienandi* &c. Hæc jura propterea rem feudalem efficiunt, & ad causam feudalem constituendam æquè, uti essentialia, concurrunt, quòd pacta, ex quibus descendunt, si in continenti contractui feudali adjiciantur, ejus vim & efficaciam participent. *l. 7. §. 5. ff. l. 13. C. de pact.* Vinn. *de pact. c. 11.* Refero (2) huc *jus petendi laudemium*, Lehengeld oder Lehnwar / ex moribus quarundam curiarum Domino competens. (3) ipsam feudi seu rei feudalis *possessionem* seu jus possidendi, tribuendam quidem non Domino; hic enim rem feudalem nec per alium detinet; sed vasallo, qui rem tenet animô sibi, ut Domino utili, & quamdiu dominium illud utile durat, habendi; & consequenter feudum civiliter possidet. *per l. 13. §. 1. de publ. in rem act. l. 22. §. 1. de noxal. action.* Vultej. *consil. Marp. vol. 3. cons. 20. num. 88.* quamvis non sim nescius, multos solùm naturalem possessionem vasallo tribuere, vid. D. Struv. *Syntagm. I. P. F. cap. 10. a. 2.* Rosenthal. *de feud. c. 8. q. 1. n. 7. seqq.* Verùm cum vasallus non directo domino, sed sibi, habendi opinione, adeoque longe aliô modô, quàm quô usufructuarius aut colonus naturaliter possidere dicuntur *l. 7. §. 10. commun. divid. l. 12. pr. de acquir. vel amitt. possess.* rem teneat; alia etiam & civilior ipsi, quàm his, possessio adsignanda erit, Et hinc est, quod non Domino, sed vasallo, ratione ipsius rei feudalis remedia possessoria, etiam contra Dominum, competant. D. Struv. *c. 16. a. 3. n. 2. cap. ult. a. 1. n. 2. in fin.* Rosenthal. *c. 12. concl. 12. num. 30. seqq.* Ideo autem possessio inter *accidentalia* feudi jura numeranda est, quod à feudo, uti notorium, salvâ ipsius essentiâ abesse possit: imò sæpe feudum ipsô jure acquiratur, cùm tamen pos-

sessio

ſeſſio nunquam, niſi actuali apprehenſione accedente, acquiri queat *l. 30. §. 5. de acquir. & amitt. poſſ. l. 23 eod.*

XII. Hoc tamen velim notes, ſæpe ea jura, quæ feudô in genere conſideratô, accidentalia ſunt, eſſe eſſentialia huic aut illi feudi ſpeciei, non ſecus, uti ſcriptura eſt quidem accidentale quid contractui; eſt tamen eſſentialis literarum obligationi; & figura rotunda, quæ accidentalis corpori, eſt eſſentialis corpori globoſo.

XIII. Ex his omnibus facillimô negotiô judicare poteris, quodnam genuinum & verum cauſæ feudalis ſit *objectum*, nimirum pertinere huc ex numero *rerum*, (1) *Rem ipſam feudalem* ſeu quæ *in feudum* data eſt, ſive mobilis ea ſit, ſive immobilis, unà cum omnibus ſuis incrementis, fructibus, alijſque acceſſoriis. *1. F. 18. verb. ſi fuerit controverſia de beneficio. 2. Feud. 55. verſ. Præterea verb. Si inter duos vaſallos de feudo* &c. (2) *Pecuniam* aut aliam aliquam rem, quæ pro *laudemio*, vel aliàs ex pacto, conſuetudine aut natura feudorum nonnullorum peculiari, præſtari debet. Ex numero *factorum* (1) *Fidem* ſ. præſtationem fidei, operamque & officia ex fide fluentia, debita tam Domino, quàm vaſallo. (2) *Servitia* ſeu præſtationem ſervitiorum, exhibendam à vaſallo. (3) *Amicitiam, & officia ſingularia*, quæ, intuitu communis domini, convaſalli ſibi invicem debent. (4) *Alia facta*, ad quæ tàm dominus, quàm vaſallus, per pacta adſtrictus eſt. Pertinet huc (5) *omiſſio factorum*, quæ jam dictis adverſantur; vel, ſi aliquid contra fidem, amicitiam, & reliquam obligationem feudalem factum ſit omiſſumve, *damni reparatio. Res* tamen & *fides* dum demum objectum cauſæ feudalis erunt, ſi in *priori* non ipſa qualitas vaſallitica; nec in *poſteriori* ipſa ad fidem præſtandam obligatio negetur; ſed ſolùm, E. g. lis ſit de modo præſtandæ fidei. Si enim & *iſta* vocentur in dubium, cum ita vaſallus quis aut dominus

eſſe

esse negetur, controversia talis pro causa feudali non est habenda; quamvis in quibusdam casibus, quos superiùs *Sect. 3. §. 10. & 11.* allatos videre poteris, Iudex militaris seu feudalis judicare rectè possit

XIV. Ex his jam dictis decidenda est inter JCtos satis agitata & vexata quæstio; *An ulla detur causa feudalis possessoria?* vel, ut alii quæstionem efferre solent, *An ullum possessorium coram Iudice feudali institui possit?* Sunt qui adfirmantem; sunt, qui negantem; sunt, qui mediam amplectuntur. Patronos harum opinionum longo ordine vide allegatos apud Rosenthal. *c. 12. cl. 12. litt. v. χ. φ. mult. seqq.* Nos (1) præmittimus, hanc controversiam per txx. Iuris Feudalis & Canonici *veluti c. 15. X. de for. compet. c. 6. eod. c. 5. de jud. 2. F. 26. pr. & §. 1. 2. Feud. 22. §. fin.* eam in rem allegari solitos, quia partim impertinentes, partim non concludentes & dubii sunt, componi neutiquam posse. Quod enim *c. 15. X. de for. competent. & 2. Feud. 26. §. 1.* attinet, patet cuilibet txx. saltem inspicienti, non agi in eis de causa verè feudali; sed de controversia, quæ est inter non vasallum, (Reginam Angliæ dotalitium; Filiam allodium petentem) & vasallum. In hoc autem casu causam feudalem non esse, *sup. d. sect. 3. §. 3.* evictum est. Ex *princip. d. t. 26.* nihilo plus colliges. Primùm enim illud tractat de contentione domini & agnatorum, domino novum, agnatis paternum feudum dicentibus; qua in contentione cùm Dominus agnatos suos neget esse vasallos, illa pro causa feudali haberi nequit *sup. sect. 3. §. 11. §. 9. seqq.* deinde in illo textu solùm dicitur, quod agnati in possessione feudi, de quo quæritur, sint constituendi, non autem exprimitur, à quo Iudice illud fieri debeat. Nec tex. *2. Feud. 22. §. fin.* rem conficiet. Ille enim solùm de admonitione extrajudiciali loquitur, quæ eò tendit, ut dominus *vel possessionem restituat & acquiescat*; *vel*, si nimirum ac-

qui-

quiescere nolit, tùm demum *judicio curiæ* petitorium instituendo, ex libera tamen voluntate & non coactè, *se submittat. Quòd si ter admonitus facere distulerit, liceat vasallo ad aliam maiorem potestatem*, seu Iudicem ordinarium *ire & sibi consulere.* Quod vasallus facere non posset, si causa verè feudalis esset. Reliqui *txx. c. nempe 5. X. de Iud. & c. 6. de for. compet.* æquè de petitorio, ac possessorio intelligi possunt. vocabulum enim *possessionis*, uti ex contextu patet, non jus possidendi, sed rem ipsam possessam, significatione juri Canonico non infrequenti, denotat.

XV. Deinde præmittimus, nullam hîc inter *possessorium summarium* seu extraordinarium & *ordinarium*, uti putat Vultej. *de feud. l. 2. cap. 2. num. 46.* Sixtin. *de Regal. c. 8. n. 23.* faciendam esse differentiam; cùm causa feudalis non ex ordine & modo procedendi, qui potissimam inter caussas summarias & ordinarias efficit differentiam, vid. Gail. *1. obs. 17.* Carpz. *I. P. F. R. S. p. 2. c. 7. d. 15.* sed aliunde dijudicanda sit.

XVI. Hisce præmissis mediam eligimus sententiam dicimusque, illam causam possessoriam pro feudali habendam & à Iudice feudali decidendam esse, *quæ descendit ex jure feudali*, seu in qua petitur possessionis restitutio, aut turbationis omissio, *ut debita à persona feudali*, ob quodammodo violatum feudalem contractum; si verò hæc ob generalem & omnibus communem obligationem à persona feudali, ut quælibet alia, petantur, causa talis pro feudali habenda non erit. Ad causam enim feudalem requisitum fuit, ut in libello concludatur ad rem vel factum in quam vel ad quod jus aliquod feudisticum, in quo se fundat agens, competit. Erit igitur in potestate actoris, an velit ex obligatione generali & omnibus communi coram ordinario, an ex illa obligatione speciali & vasallitica coram feudali agere. Et si prædicto modo intelligatur Baldus, *in tit. de Prohib.*

feud.

feud. alienat. per Freder. §. ult. verſ. Præterea. dum inter *poſſeſſorium feudale* & *nudum poſſeſſorium* diſtinguit ; & Menoch. qui *remed. 3. poſſ. retin. n. 377. ſeqq. & num. 422. ſeqq.* dicit, *videndum eſſe, an vaſalli contendant de poſſeſſione rei, quam feudalem eſſe ſimul adſerunt & fatentur; an contendant de poſſeſſorio ſimplici, quod petitorio non adminiculatur*: nihil abſurdi & abſoni continebit ipſorum opinio.

XVII. Nec te moveat, quod hic nulla obligatio vaſallitica & feudalis ſubeſſe videatur, cùm in poſſeſſionis turbatione non contra contractum feudalem, ſed contra communem & omnes homines obſtringentem obligationem peccetur. Reſpondetur enim, Dominum & vaſallum in contractu feudali ſibi utrinque fidem, vaſallum ſuis convaſallis, qui ipſius commilitones, ſocii imò fratres ſunt, ſingularem amicitiam & alia, ad quæ per leges univerſales, & communes non tenebantur, promittere: quam promiſſionem ſi violant & vel in Dominum, vel in convaſallum, aut ut perſonam, efficiendo quô minùs in curia amplius ſtare poſſit; *2. F. 37. pr.* aut ut poſſeſſorem feudi, delinquunt, gravius ſanè, quàm alius, qui ad tale quid ſe non obſtrinxerat, peccabunt, & ob contractũ feudalem initum arctiùs obligabuntur.

XIIX. Poſtremò cùm ex jure ſuperiùs allato feudiſtico, tàm in ſummario, quam ordinario agere Dominus aut vaſallus poſſit, patet & illud & hoc coram feudali Iudice inſtitui poſſe. Licèt enim in ſummario, principaliter de turbatione, ſecundariò ſaltem de poſſeſſione quæratur; Carpz. *d. p. 2. C. 7. d. 15.* tamen quia illa ipſa turbatione, ſi nimirum vaſallus Dominum vel convaſallum, aut vice verſa, in poſſeſſione rei feudalis turbet, contra contractum feudalem peccatur; & ex eo jus feudiſticum, ad feudalem cauſam proficiens, perſonis feudalibus acquiretur.

XIX. Antequam hinc abeamus lubet, coronidis lo-

cô, allatô unô & alterô exemplo, monstrare usum eorum, quæ hactenus dicta sunt, practicum; ex quibus primum sit, quod habetur *sup. allegat. tom. 3. consil. à Kirchov. collect. consil. 24. DNN. in N. & N.* (ni fallor sunt comites Rupinenses) *tenebant feudum à Serenissimis D. N.* (Marchionibus Brandenburgensibus) *mortuo D. in N. & N. absque heredibus masculis, Serenissimi D. N. feudum, quod sibi, ceu dominis, apertum dicebant, occupant. Opponit se ultimi demortui D. in N. & N. Affinis, & bona N. & N. ad filios suos, D. N. & N. ex sorore nepotes, pertinere contendit. Impetrat Commissionem Cæsaream, Serenissimo D. N.* (Electore Saxoniæ) *Commissario constituto; & D. N. coram Imperiali Commissario Torgam ad amicabilem compositionem, aut judiciariam cognitionem citari facit. An igitur D. N. ratione præsentis causæ de jure teneantur vigore dictæ commissionis & emissæ citationis coram illo Imperiali commissario D. N. comparere, & vel extra Iudicium de bonis feudalibus ad eum devolutis transigere, vel judicialiter procedere: & cum causa sit feudalis, ac bona controversa feudalia à D. N. censeantur; an non potius coram domino feudi sit determinanda? & hoc modo ipse D. N. jurisdictionem Commissariorum rectè declinare ac recusare possit; & sic totum hoc negotium ad pares curiæ remittendum sit &c.*

JCtus Christophor. de Straßen contra Serenissimum Consulentem, causam non esse feudalem, respondit; addit. *n. 21. seqq.* rationem (1) quod Actor vel eius liberi non jurarint fidelitatem, propter quam tantum vasalli appellantur propriè fideles, nec sunt de feudo aliquo per Serenissimos N. investiti. Illi autem dicuntur tantum vasalli, qui de aliquo feudo sunt investiti & sine feudo non dicuntur vasalli vel Feudatarij propriè (2) quia actor non se fundat super feudo, vel ex jure & lege feudali, nec petit rem litigiosam, ut feudum: imò negat esse rem feudalem, & ut hereditariam & allodium ad se vel filios suos pertinere adserit, & sic ex jure communi se fundat, non feudali.

XX.

XX. Alterum exemplum præbeat in Camera Imperiali ventilata causa W. contra O. F. *S. Q.* nunc Executorialium in specie daß Ober- und Nieder X. betreffend ꝛc. in qua anno 1655. 9. Martii sententia publicata.

P.P. Zu Recht erkandt/ das an stat Weiland Fr. M. Gräfin von W. geborner Gräfin von O.F. dann dero Söhne/ Herr S.D. und H. Grafen zu W. ꝛc. Klägere / als Successores, außgenommen der Graffschafft O.F. sambt aller in Lehenbrieff begriffener appertinentien und zugehör/ als Reichs Lehen/auch Weiland E. Grafen zu O.F./ Fr. E. gebohrner Gräfin zu X. Herrn U. Fräulein A.T. und I. allen Grafen und Gräfinnen zu O.F. respectivè zum Siebenden/ Sechsten/Fünfften/ Vierten und Drittentheil Erben zu declariren und erklären/ und derentwegen die Beklagte / als vorgedachten Beklagten Nachfolgere und Erben/ihnen den Klägern als ihren MitErben solche Erbportiones, sampt denen davon von zeit respectivè jedes Absterben erhobenen Nützungen (jedoch nach Abzug und collation/ was obgedachte Fr. M. und Klägere/ an Ehesteur und sonsten bereits empfangen / und uff vorgehende liquidation) abzutreten / einzuräumen und gut zu machen schuldig und darzu zu condemniren und verdammen seyn. ꝛc. So dann etc.

Post latam hanc sententiam Illustrissimi C. W. in ihrer liquidation Schrifft sub præsent. 30. Iun. 1662. inter alia bona allodialia per D. Erharden petunt das Ober- und Nieder X. als ein Stück/so tempore mortis E. prim. C.O.F. in der gemeinen Erbschafft befunden und folglich sampt andern Theilbaren Gütern von denen anmassenden Lehen-Successoren damahln zu sich gezogen worden. etc.

Ad quod 29. April. 1663. Illustrissimus C.OF. inter alia per D.

Muegen excipit. Es sey quæstio vom R. super feudo immediato inter Status Imperii agitanda, welche an keinem andern Gerichte oder Tribunal, denn allein vor der Käyserlichen Majestät oder dero Reichs Hoffraht in Recht vorgenommen oder ventiliret werden müste/ 2c. Petit remissionem.

Fertur sententia 13. Nov. 1663.

P. P. Ist D. Muegen sein remissionis causæ halber beschehen Begehren noch zur Zeit abgeschlagen / sondern 2c.

Post hæc Illustriss. C. O. F. impetrat Rescriptum Cæsareum inhibitorium & avocatorium, quod totum apponamus;

Leopold,

Hochgebohrner / lieber Vetter und Fürst / auch Wolgeborne/Edle/ Ehrsahme/ Gelehrt-und Liebe Getrewe. Bey Uns hat sich der Hoch- und Wolgeborner Unser und des Reichs lieber Getrewer G. E. Graff zu OF. in Unterthänigkeit beschweret/ welcher gestalt in der/an Unserm Käyserl. Kammergericht mit G. F. und J. Graffen zu W. hangenden Rechtsfertigung ratione hæreditatis petitionis und andern Sie Graffen sustiniren wolten/ daß das Ober R. allodial und nicht feudal Güter / auch Sie dannenhero solche Landen in petitorio Iudicio zu besprechen befugt weren/ auch darüber den 13. Novembr. nechst verwichen 1663. Jahres daselbst jhme Supplicanten zu wieder ein Urtheil publiciret/ worin sein remissionis causæ halber gethanes Suchen noch zur Zeit abgeschlagen / und die feudalität von gewisser Zeit zu probiren in præfigirtem termin ufferlegt worden sey: Alldieweilen aber jedoch/ cum expressa protestatione de non consentiendo, deduciret/ daß diese Stück seiner Graffschafft/ einem unstreitigen Reichs Lehen/ incorporiret/ auch die cognitio in hoc puncto feudalitatis, respectu dieser erstgegedach-

dachten Graffschafft OF. als unstreitigen Reichs-Fahnen-Lehen/mit einverleibten Stück- und pertinentien für Uns allein und privativè gehören: Als hat Uns ermelter Graff von OF. gehorsambst angeruffen/ und gebeten/ daß Wir hierunter Unser Käyserl. authoritat interponiren und daran seyn wolten/ damit diese proceß ab- und eingestellet werden möchten. Habens deiner Ld. und Euch hiermit einschliessen wollen/ Uns gegen dieselbe Gnädigst versehende/ daß gleich wie Wir nicht gemeinet seind/ Unserm Käyserl. Cammer-Gericht in Fällen/ worin dasselbe mit Unserm Käyserl. Reichs-Hoffraht concurrentem jurisdictionem hat/ Eingriff und præjudiz geschehen zu lassen; Also wird auch dasselbe hinwiedermmb darauff bedacht seyn/ damit in dieser Sache also verfahren werde/ damit so wenig Unserer allein zustehenden cognition/ als des Reichs Eigenthum/ ichtwas zu Nachtheil und Abbruch vorgehe/ noch Supplicant zu fernern Klagen verursachet werde: Hieran beschiehet Unser Gnädigster Wille und Meinung/ und Wir sind deiner Ld. und Euch mit Käyserl. Gnaden und allem guten wol beygethan und gewogen. Geben in Unser und des H. Reichs Stadt Regenspurg den 23. April. Anno 1664. Unserer Reiche des Römischen im Sechsten/ des Hungarischen im Neundten und des Böheimbschen im Achten.

Leopold.

Ad Mandatum Cæs. Majest. proprium.

Vt. W. von Walderdorff.
Reinh. Schröder.

Quæri-

Quæritur jam; an hæc controversia de R. inter C. W. & C. O. F. agitata, sit causa feudalis, nec ne? intrepidè respondemus, eam pro causa feudali haberi non posse. Primò enim deficit in subjecto *sect. 3. §. 3.* requisita qualitas vasallitica, cum hic non convasallus; sed heredes M. filiæ E. prim. C. O. F. quæ fuit uxor P. C. W. agant, qui (2) R. non petunt ex jure aliquo feudistico & ut feudalem; sed tanquam hæreditariam, allodialem & jure dominij ex parte ad se pertinentem. An autem his non obstantibus causa ad Aulam Cæsaream nihilominus remittenda fuerit? non definio: conferri poterit Klock. *in Relat. Cam. 26. n. 25.* & ibi Decretum Cæsareum in causa Nassau contra Lohtringen/ die Graffschafft Saarwerden betreffend/ quod, cum ad hanc materiam illustrandam conferat, apponere non erit grave;
Wo die Partheien einander spruchs und forderung nicht erlassen wollen/ daß sie die Lehenstück und Güter vor den Lehen-Herrn/ (non quia causa verè feudalis erat; neuter enim litigantium alterum pro convasallo agnoscere volebat; sed quia uterque se adserebat vasallum. vid. *sect. 3. §. 9.*) und dann die Graffschafft Saarwerden/ dieweilen die eine Graffschafft des Reiches und zwischen den Partheyen ein Streit deshalber ist/ ob die eigen oder Lehen sey/ coram Camera Imperiali, da es dem zu erörtern ordentlich gebühret/ was recht ist/ suchen mögen. Vide etiam D. Blum. *Process. Cam. tit. 41. n. 3. seqq.* & quem allegat Gylman. *voc. feudum. pr. & voc.* Austräge. §. *si tamen.* Colleg. juris Publ Giess. *v 2. disp. 2. thes. 4. lit. a.* Sanè Camera Imperialis, insuper habitis literis avocatoriis, in causa perrexit. Plura exempla invenies ap. Pruckman. *v. 2. consil 16. n. 3. & 4.* Surd. *consil 286. per tot.* Consil. Argent. *vol. 1. cons. 26. solut. quæst. 6. & consil. 28. sol. quæst. 4. cons. 40. per tot.* præprimis apud Meischner. *Tom. 2. decis. cam. lib. 2. d. 1. per tot.* Klock. *relat. Cameral. 46.* ubi *n. 9. 12. seqq.* disquiritur: an si

inter

inter duos convasallos judicio communi dividundo actum fuerit, causa habenda sit pro feudali? Dn. Adsessoribus Stiebero, Bendero & à Vorburg adfirmativa placuit: secundum quorum vota etiam judicatum & causa ad dominum feudi remissa fuit. *jung.* Blum. *Sentent. Cam. n.707.*

V. Finis.

I. Verba illa nostræ definitionis, *à judice feudali decidenda*, finem causæ feudalis innuunt. Eâ enim intentione litigamus, vel certè litigare debemus, ut à Judice lis finiatur, & quilibet, quod ipsi debetur, consequatur; adeòque, an actus adfirmantis, an negantis legibus consentaneus sit, à judice determinetur, reusque vel absolvatur, vel condemnetur, *l. 1. ff. de re jud. c. 1. eod. in 6. l. 13. C. de Iudic.*

II. *Judicem* autem, significatione nec juri civili incognitâ, *l. 1. de Iud* non illum solùm, qui *judicat*; sed & illum, qui jus dicit, intelligimus. Inter quæ, *judicare* nimirum & *jus dicere*, *jus* & *judicium*, quid intersit, *vid. ap.* Sigon. *de Iudic. lib. 1. c. 7. seqq. & c. 22. seqq.* Vultej. *de judic. l. 1. c. 3. n. 14. seqq.* Ne verò quemlibet Judicem ad decisionem causarum feudalium admitteremus, adjecimus vocabulum *feudalis*. Sortiuntur enim causæ nostræ regulariter forum singulare & coram Judice Ordinario tractari nequeunt. *c. 5. X. de judic. c. 6. X. de foro compet. 2. F. 55. vers. præterea. & aliis text. sup. alleg.* Dixi *regulariter*; dantur enim quidam casus excepti, in quibus Ordinarius *etiam de causis feudalibus*, & rectè quidem, judicat; nimirum tunc, quando Judex feudalis planè deficit, aut suspectus est. Eô enim casu, ne alicui in Republ. jus denegetur, ad ordinarium necessariò recurrendum esse, patet. Deficit autem tunc, si Dominus planè non habeat pares *2. F. 16.* aut si pares curiæ in ead. causa debeant esse testes Schrader. *p. 10. sect. 6 n. 213.* Rosenth. *de feud. c. 12. cl. 4. n. 5. seqq.* Vultej. *de feud. lib. 2. c. 2. n. 37. 38. & 40. vid. & inf. §. 7.*

E III. Sicut

III. Sicut autem in quolibet Judice duo, quæ Judicem in τῷ esse judicis constituunt, consideranda veniunt; *Potestas* jus dicendi tàm *naturalis*, quàm *moralis*, (ex hac de competentia Iudicis esse judicandum dicit Vultejus *de. jud. l. 1. c. 4. n. 135. in fin.*) & *officium* seu obligatio Iudicis; ita & in judice feudali, si Iudex audire vult, hæc attendenda erunt. Et quidem, quod *potestatem* jus dicendi *naturalem* attinet, cùm quoad eam in Iudicibus feudalibus nihil speciale, quod non etiam in Iudicè alio requiratur, constitutum sit, non opus erit, aliorum de his dicta huc transcribere. qui tamen ea cognoscere vult, videat *l. 12. §. 2. ff. jud.* Vultej. *d. l. n. 87. & seqq. & alios.*

IV *Potestas moralis*, in Judice feudali consideranda, dicitur *jurisdictio feudalis*; quæ nihil aliud est, quàm facultas s. potestas domino feudi & paribus Curiæ competens, de causis feudalibus judicandi, jure feudali data & concessa, quæ *potestas Iudicialis* non est confundenda cum *potestate Domini extrajudiciali*; beneficiô cujus hic vasallo suo imperare, pœnam comminari & eam, si paritum non fuerit, exigere potest; veluti si Princeps vasallis suis, non subditis, injungit, ut servitia feudalia præstent, wenn Er die Ritter oder Lehenpferde auffbietet / renovationem investituræ petant &c. posses hanc domini potestatem nominare, die Lehenherrliche Obrig- und Bottmeßigkeit; potestatem autem judicialem, die Lehen Herliche Gerichtbarkeit; *Extrajudicialem* exercet Dominus etiam in rebus, proprium interesse concernentibus; *judicialem* non æquè. Hinc fit, ut quam primum vasallus mandatis Domini se opponat & ad *judicium* provocet, non Domini, sed Parium Curiæ vel Ordinarii sit jurisdictio.

V. *Subjectum* jurisdictionis feudalis sunt *Dominus* feudi aut *Pares* curiæ; qui variè pro diversitate casuum hanc suam jurisdictionem exercent. *Dominus* enim judicat, si inter duos pluresve convasallos de feudo fuerit controversia, *2. F. 55. §. 2.*

vers.

verſ. præterea. niſi cauſa quodammodo ad dominum pertineat, veluti ſi de evictione teneatur. *2. Feud. 46.* Nec turbet, quòd in *1. Feud. 18. princ.* & *2. Feud. 34. princ.* cognitio in omnibus cauſis feudalibus, exceptis ſolum ijs, quæ inter Capitaneos exercentur, Paribus Curiæ videatur tranſcribi. Quod enim *priorem textum* attinet, ille cum D. Ludwel. *cap. ult. Synops. Feud. n. 1.* commodè ita explicatur, quòd in ejus verbis poſterioribus agatur de contentione inter valvaſores majores ſeu Dominos intermedios & valvaſores minores ſeu vaſallos ipſorum valvaſorum majorum; quô caſu, ſecundùm jus feudale commune parium eſſe judicium, in confeſſo eſt. In *altero tx.* verba ex lege Conradi, (quæ abſque dubio mutila & contracta ſunt) eô ſolùm fine referuntur, ut monſtretur diverſitas conſuetudinis Mediolanenſis, ad quod, ut plenè exhiberetur conſtitutio, non fuit opus; quid igitur obſtabit, quo minus dicamus, ad verba: *Si inter valvaſores*; ex *d. t. 18.* eſſe adjiciendum *majores* & *minores*, illaque eôd. modô, uti ſuperiùs factum, explicemus, (& forſan *t. ille 18.* ex lege Conradi deſumtum eſt) quod ſi non placeat, poteris communem illam reſponſionem, textum hunc per Conſtitutionem Friderici *in 2. Feud. 55. § 2 verſ. præterea.* correctum eſſe, retinere & in ea acquieſcere. *junge* Afflict. *in d. text.*

VI. An verò Dominus ſolus judicet? an autem aliquos ex paribus Curiæ adhibere opus habeat? controverſa quæſtio eſt. Prius communiter adfirmant. *vid.* Roſenth. *de feud. c. 12. concl. 1. n. 5.* Vultej. *de Feud. lib. 2. c. 2. n. 8.* Amed. de Ponte *tr. Quis ſit jud. compet. in cauſ. feud. n. 27. ſeqq.* Poſterius defendit D. Mejer. *de vind. feud. th. 64. ſeqq.* cum quo, ex parte conſentit D. Struv. *S. j. F. c. ult. a. 4.* & *5.* Quid in noſtro Imperio circa feuda regalia juris ſit, an ſolus Imperator? an Pares curiæ cum ipſo judicent? non minus controverſum eſt. Poſterius defendit Autor Diſcurſus, Ob die Römiſche Key-

 ſer in

ser in des H. Reichs Lehensachen allein richten können? qui habetur apud Londorp. Actor. Publ. *tom.1. l. 1. c.5. edit noviss.* Limn. *l.2 jur. publ. c.9. n.54.* Prius vero Colleg. jur. Publ. Giess. V. *2. D 2. th. 4. l. a.* Arum. *diss.3. ad aur. bull. c. 41.*

VII. *Pares* vero *Curiæ* regulariter exercent hanc jurisdictionem, si lis ipsum Dominum vel principaliter, *d. vers. præterea.* vel per consequentiam *d. 2. Feud 46.* concernat: & tunc aut omnes judicant, aut illi, quos Dominus & Vasallus litigantes ritè elegerunt. de quibus cum à Feudistis satis tractatum sit, actum non agimus. *vid.* Rosenth. *de feud c.12. cl.1.2.3.4.* Schrad. *de feud p.10. sect.1. seqq.*

IIX. *Fundamentum remotius* hujus potestatis est Imperantium voluntas, partim expressa, *2. F. 55.* partim tacita, ex frequentibus subditorum actibus elicita, domino vel paribus curiæ jurisdictionem concedens. Quæ voluntas si aliquo in loco deficiat, uti eam deficere testatur Vultejus *lib.2. de Feud c.2, n.41.* Et in specie de Gallia Molinæus *in comm. ad consuet. Par. pr. tit. 1. n.1. ad ejusd. tit. §. 60. gloss. 1. n.20. in Comment. ad SCta. Franc. contra abus. papal. art. 10. gloss. 15. §. 94. Tom. 3. ej. operum. f. 473. Edit. Paris. & in not. ad c. 6. X. de for. compet.* cessabit Jurisdictio feudalis & ordinarius, etiam in caussis feudalibus, cognoscet.

IX. *Fundamentum proximius* est voluntas contractum feudalem celebrantium, per eumque hanc jurisdictionem, auxiliò tamen juris feudalis, constituentium. Est enim hæc jurisdictio, uti benè notat Rosenthal. *c.3. q.3. n 4. & c. 12. concl.1. n.3.* effectus concessionis (supple & concessioni conjunctæ acceptationis,) beneficii feudalis. *Dominus enim,* pergit ille, *concedendô alicui feudum, eô ipso jurisdictionem beneficiariam s. feudalem in Vasallum, & ipsum beneficium, ut scilicet de eo jure feudali & circa illud jus dicere possit, acquirit.* jung. Treutl. *v.2. Cons 84.* dum *n.70.* ait; *ex contractu feudali s. ex concessione beneficii feudalis, aut investitura, jurisdictionem acquiri.*

X. Sed

X. Sed quid, si contrahentium unus sit Princeps superiorem non recognoscens, nec feudali jure obstrictus, anne & tunc quoque per contractum hunc constituetur jurisdictio feudalis? Ad quod respondendum est, quòd utique in summum Principem jurisdictio æquè, ac in alium acquiratur: Si enim iste contractum feudalem celebret, præsumetur secundum *leges feudales* contraxisse & ex hoc contractu æquè, ac si privatus esset, obligabitur. quod, sicut de Imperatore adfirmat Rosenthal *d.l. concl.3.n.2. & seqq.* ita de omni Imperante summo statuendum est. Vultej. *de feud. lib.2. c.2. n.25.* Schrader· *p.10. sect.5.n.22.* Licèt enim talis Princeps sit legibus feudalibus, qua civiles sunt, non obligatus; attamen cùm contractum feudalem celebrat, tenebitur ex sua conventione, & per istum contractum jurisdictio, ceu feudi naturale *s. sect.5. §.9.* & quod fluit ex ista conventione *§. anteced.* constituta censebitur. Schrad. *de feud. d. p. 10. sect.5. n.25.* Si verò, se jurisdictioni feudali nolle esse obnoxium, expresse dixerit; & hæc conventio servanda erit, nec jurisdictio in eum acquiretur.

XI. Annon autem privati æquè, ac summus Princeps, contractui feudali tale pactum poterunt adjicere, quô jurisdictio feudalis judicibus feudalibus auferatur & Ordinario transscribatur? Et videntur posse. Cùm enim jurisdictio sit saltem naturale feudi, quod ex legis dispositione inest *am alleg. sect.5. §.9.* poterit per adjecta pacta, uti aliorum contractuum naturalia, *l.7. §.5. ff. de pact.* immutari. Et si judicis alicujus non feudalis jurisdictio potest prorogari, ut in causis feudalibus competens fiat, modò id factum sit consentiente domino, Rosenth. *cap. 12. concl 1. n.43. seqq.* Schrader. *d p.10. sect. 1 n. 145.* quidni etiam dominus & Vasallus contractui feudali statim possit tale pactum adjicere, per quòd jurisdictio feudalis domino auferatur, è contrario vero ordinarii quasi prorogetur.

XII. Alterum, quod in judice feudali observandum diximus, est ipsius *officium* seu obligatio, quæ non multum differt ab officio Iudicis in genere, (de hoc egregiè vide tractantem Vultej. *l.1. de Iud. c.4. n.24c. usque ad fin.*) nisi quod, actore in probatione succumbente, non statim debeat absolvere Reum; sed, si aliquid sit, quod ipsum moveat, illi deferre juramentum. *2. Feud. 33.* §. *Sacrament.* qui plerumque jurat cum duodecim sacramentalibus. *1. Feud. 4.* §. *2. 10. 28.* domino tamen interdum remittitur juramentũ. *1. Feud. 4.* §. *si vero. 2. F. 33.* §. *3.*

VI. DIVISIO.

I. Explicatis jam ijs, quæ ad essentiam causæ feudalis constituendam pertinent; possemus quidem subsistere, & divisionẽ PARTI SPECIALI reservare; ne tamen hoc caput planè intactũ relinquamus, generalem saltem divisionẽ subjiciemus.

II. Potest autem *Causa Feudalis* dupliciter dividi; &, ut *totum, κατ' ἀναλογίαν in partes* integrantes; &, ut *genus*, *in species*.

III. Priorem *divisionem*, *in partes* intellige, vel ex *sect. 2. §. 2.* colligere poteris, quæ hæc est, quod causa Feudalis dividatur in actum actoris adfirmantis, & actum Rei negantis. uterque pro varietate facultatis agendi & excipiendi varius ac multiplex, uti ex aliô tempore de hac materia dicendis latiùs patebit.

IV. Altera Causæ Feudalis *divisio est generis in species*, quando nimirum ea dispescitur in *personalem* & *realem*. Fundat se hæc divisio in differentiis prioris in controversia feudali actus &, ex qua de hujus justitia injustitiave judicatur, facultatis in judicio agendi; *actionem* nominant JCti. Est autem facultas ista duplex; alia *realis*, quæ competit ob jus in re, & qua actor se in suo jure in re per judicem tuetur; alia *personalis*, quæ datur ob jus ad rem, & qua jus suum ad rem persequitur actor. §. *1. Inst. de Act.* & *ibi Ddres.* Ex quo facilè colligi potest, *causam personalem* esse eam, cujus prior actus, actoris np., eique competens agendi facultas descendit ex

jure

jure ad rem; *realis* verò, cujus prior actus, quamque ille præsupponit agendi facultas, competit ob jus in re.

V. Sed dices, me hîc in regulas Logicorum impingere, membraque dividentia non satis perfectè enumerare; *tertiam* enim dari Causæ Feudalis speciem, quæ nec ad realem, nec ad personalem referri possit. Cùm enim præter *jus in re* & *ad rem* detur *jus personarum*, & præter actionem realem & personalem *actio præjudicialis*, patere, quòd præter enumeratas §. *anteced.* species, statuenda sit alia, nempe *Causa Feudalis Præjudicialis*, quâ Dominus aliquem esse suum vasallum, & vasallus aliquem esse suum Dominum, agat & adserat. *vid.* Durand. *Spec. lib. 4. tit. de feud.* §. *ult.* Giphan. *de jur. Feud. c. ult. n. 9.* Verum ex *sect. 4. §. 5. seqq.* patet, causam feudalem illam esse, qua petitur res vel factũ feudale, seu ad quod jus feudisticum competit: jam cùm illud jus sit solùm jus in re vel ad rem; nullum autem jus personarũ sub se contineat; causa etiam feudalis vel realis vel personalis erit. Nec obstat, quòd dentur actiones, quibus quis aliquem esse suum vasallum, esse suum Dominum, intendit. Nam diceret aliquis, prædicata ista, *esse vasallum, esse Dominum*, ita non habere, ut *statum personarum conditionemque hominum civilem* contineant, aut, quod idem, *jus personarum* importent; sed tantùm denotare, esse ad fidem, servitia &c. ob feudum contractumque feudalem, obligatum Domino; esse ad fidem reciprocam, evictionem & alia obligatum vasallo.

VI. Utramque eum Wesenb. *Comm. in tit. C. de iud. n. 110.* iterum dispescimus in *petitoriam* & *possessoriam*. Diximus *utramq*; licèt enim non ignoremus, communiter solam causam *realem* in petitoriam & possessoriam dividi solere; Dn. Struv. *jurisp. forens. Rom. Sax. lib. 4. tit. 6.* attamen, cùm plurimæ actiones possessoriæ personales sint, uti jam laudatus Dn. Struv. *Syntag. jurisp. Civ. Exc. 45. th. 25.* de actione pro interdicto *Quorum Bonorum*, *th. 34.* interdicto *Ne vis fiat*, *th. 43.* interdicto *de Tabulis exhibendis*, *th. 50.* interdicto *Ne quid in loco sacro*, *th. 103.* interdicto *de*

Vi & Vi

Vi & Vi armata, & pluribus aliis testatur, necessarium erit, dari etiam causas *possessorias personales*, & per consequens, divisionem communem esse minùs accuratam. Si tamen per *τὸ reale* velis intelligere illud, quod rem, non pœnam, persequitur; fateor equidem, omnes causas possessorias eo in sensu esse reales; interim hoc moneo, vocabulum istud non juridicè, & ut terminus artis est, ita usurpari.

VII. Desumta est hæc causæ feudalis in *petitoriam* & *possessoriam* divisio non à *fine* actionis institutæ, ac si in *priore* petatur ipsa res seu rei dominium, in *posteriore* vero possessio ipsius rei; sed à *medio* seu *fundamento* petendi; quòd *petitoria* causa sit, (sume vocabulum *petitoria* latiùs, ita, ut etiam de actione personali prædicari possit; quô sensu *τὸ petere* etiam accipitur in *§.33. Inst. de act. t. t. de plus petit.*) cujus actio nec possessionem nec aliud aliquod jus, ex possessione fluens, causam habet: *possessoria* verò, cujus actio ex possessione, vel ex alio jure, occasione possessionis competente, oritur. Umm. *de process. D.1.n.12.* Ex quo datur intelligi, quid sibi velit ICtus, dum in *l.14.§.3.ff.de Except. Rei jud.* dicit, *quod in interdicto possessio, in actione* in rem *proprietas vertatur*; nimirũ hoc, quod in interdicto de possessione, in actione vero de proprietate, *tanquam causis agendi*, earumq; in agente existentia & non existentia, hinc inde disceptetur, disquiratur & controvertatur; vel, uti Africanus *in l.16.ff.de Except.* loquitur *de proprietate* vel possessione *sit controversia.* jung. *t.t.X.de caus. poss. & propriet. l.13. C. de R. V. l.37. de jud. l.12. §.1. ff. de acq. & omitt. poss.* Instituenda jam esset specialior causarum feudalium enumeratio, *Causaq; Possessoria* dividenda in *eam, quæ versatur circa res extra commercium*, & *eam, quæ versatur circa res in commercio*; *hæc* iterum subdivenda esset in *causam adipiscendi, retinendi & recuperandi possessionem*; singulisque, ut & petitoriæ tàm reali, quàm personali, suæ species subjiciendæ & explicandæ; Verùm cùm hæc non dissertationem; sed integrum tractatum requirant, vela jam contrahimus, B. L. obnixè rogantes, ne ea, quæ pro instituti ratione, ingeniiq; modulo dicta sunt, aspernetur. Quod si fecerit, ad maturius & prolixius hujus materiæ examen nos instigabit.

FINIS.